



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De vidua Coloniensi, quae in cappa Conuersi egressa est de ciuitate, cap.  
41.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

Eron. 31

APOLLONIVS: De hac puella videtur intelligendum illud Salomonis: Mulierem fortem quis inueniet?  
 CÆSARIVS: Tanta est fortitudo mentis in quibusdam feminis, vt meritò laudentur.

## CAPVT XLI.

**H**ONESTA quædam matrona de Colonia, diuitiis pollens, & ætate florens, cùm post mariti mortem Christo nubere vellet, timore amicorum, à quibus eius desiderium impedièbatur, habito consilio domini Caroli Abbatis Vilariensis, cappam Conuersi induit, sicque per illum de ciuitate educta, in monte sanctæ Walburgis monialis est effecta. APOLLONIVS: De conuersione viduarum seu maritarum, quæ de fece sæculi gustauerunt, non multum miror; virginum verò contra parentum voluntatem se conuertentium constantiam satis admiror. CÆSARIVS: Quasdam ex his pro exemplo tibi ponam.

## CAPVT XLII.

*Virgines  
contra  
parentum  
voluntatē  
conuersæ.*

**D**OMINA Methildis, magistra hodie in Fusenich, cùm haberet parentes ditissimos, & ad sæculi nuptias nutrireretur, adhuc in ætate tenera constituta, se solo Christo velle desponsari, monialemque fieri, quotidie protestata est; cumque blanditiis siue minis nõ posset auerti, die quadam vestibus purpureis contra voluntatem induta, matri respondit: Etiam si feceritis me aureã, non poteritis mutare propositum meũ. Tandem tædio affecti parentes eius, cū eã locare vellent in prædicto monasterio sanctæ Walburgis, nec esse posset, eo quòd completus fuisset statutus numerus sororum, in Fusenich conuersa est, vbi ad eò profecit, vt non multo pòst, licet adhuc adolescentula, magistra efficeretur. Quã post annos paucos Aleidis soror eius carnalis marito viduata, & ipsa adhuc adolescentula, secuta in eodẽ loco facta est Priorissa; quarũ exẽplo quædam earũ cognata timore parentum de diocesi Traiectensi in habitu viri egressa, apud sanctum Thomam, quæ est domus ordinis nostri, in episcopatu Treuerensi posita, se conuertit. Hanc cùm soror imitari vellet, à parentibus capta est, & viro tradita.